



17

MEDITATIO PHILOSOPHICA
DE
EXISTENTIA DEI,
EJUS CULTU, CULTUSQUE
PURITATE ET DURATIONE,
EX MERIS PRINCIPIIS SANÆ RATIONIS
CIRCULO CONCLVISIS DEDVCTA,

Quam
Indultu incluti Philosophorum Ordinis

ad d. XVI. Junii MDCCXIV.

PLACIDO PHILOSOPHANTUM EXAMINI

H. L. Q. C.

S U B M I T T E T

M. JOHANNES DANIEL SCHADÆUS,

Auerst. Thur.



R E S P O N D E N S

DANIEL GOTTLÖB Müller /

Flöha Misnic.

L I P S I A E,

LITERIS ANDREÆ MARTINI SCHEDIL.

MPIDIA TO PHILOSOPHIE

EXISTENTIAE

DISCERNIT CULTUS ETUSQAE

PERITATIS ET DILATIONIS

DE MERSIS PRINCIPIS SURNATIUS

GRADO CONGRUAS PROBACIA

Dicitur

per hunc invenit Philosophorum Opus

per hunc invenit

per hunc invenit

H. I. O. G.

MORALIS ET VIRTUTIS SCHADIAS

DISCERNIT CULTUS ETUSQAE

S. I.

Dum in eo eram, ut praesenti meditationi manum adhiberem, non immerito deterri debbam multitudine librorum de hoc argumento brevi tempore in vulgus editorum, & quidem a viris in scientiis philosophicis me longe longs exercitatoribus. Unumquemque materia prstantia, meditationisque jucunditate pariter ac utilitate ad scribendum fuisse connotum, certus sum : nec ignoro præsens seculum, in quo religio vera, sanusque de DEO sensus pro superstitione quibusdam habetur, nonnulli que se solos putant sapere, si rem omnem de DEO rebus que divinis aut penitus insufficientur, aut saltem in dubium vocent: ut adeo perquam necessarium sit, malo desperato medicinam quoconque modo quarere. Hac equidem vice tritam non movebo controversiam, denturne *Atbeitheoreficci?* an vero tantum ejusmodi, qui *practicorum* nomine sunt insignes, quique vellent potius, quamut credant, nullum esse DEum, qui sit iustus iniquissimorum scelerum vindicta? Hoc enim vita sua dissoluta demonstrant. Nec ego in fundamenta eorum, qui hanc materiam scriptis suis declararunt, inquiram: quoniam censem agere, mihi nec placet, nec si placaret, convenit. Ego potius in ea sum sententia, singulos sua laude mactandos esse, quandoquidem finem propositum habuerint taluberrimum. Vim argumentorum qui voluerit, perquirat. Non tamen diffiter possum, me illorum adcedere sententia, qui putant esse latius, a re tam ardua

A 2 *in* *opusq*ue* in* *poniq*ue* ital*ia**

DE EXISTENTIA DEI, EJUS CULTU,

4 talia eliminare, quæ multis adhuc premuntur difficultatibus, iisque tantum inhærere, quibus ad summam pervenire licet probabilitatem: siquidem in rebus sola ratione expediens probabilitas utramque propemodum facit paginam, ex qua tamen in aliquibus ad necessariam & indubitatem demonstrationem datur adseensus. Quapropter illi profecto dicam non scriberem, qui argumento *ab universali gentium consensu* ducto, convinci noluerit: nec illi voluntatis malitiam tribuerem, qui *Viam Negationis Eminentis* eque pro certo certioribus existentia divinitatis probationibus admittere detrectet: quum utraque facultates & divina idiomata eorumque gradus potius & naturam, qualis esse debeat, si detur aliquid sumnum Ens, quam ipsam illius Entis existentiam, de qua homo ante omnia certus esse debet, designet. Tandem etiam *Idea Innata*, quam Cartesiani tantopere urgent, annon posit in homine sibi relicto ita sepeliri, ut de ea nihil omnino sentiat, jureque se nihil unquam de ista idea percepisse? in medio relinquo. Id tamen firmiter teneo, quod *Via*, quam *Causalitatis* vocant, sit sane maneatque fortissima. Interim hanc qui calcarunt, diversissima usi fuerunt methodo. Singula recensere, nostrum jam non est. An vero consultum sit, causam nostram, quamvis justissimam, ex hoc capite contra divinæ majestatis impugnatores ita urge-re, ut ex singulis plantis corporisque humani membris *esse D'Em* evincere conemur? id aliorum esto judicium. Nec etiam mathematica, quamvis veræ, cuivis se satis probant demonstrationes: quum obstinatus semper posit prætendere, se veritates secundum artis regulas deductas, non intelligere, quoniam artis tam subtilis ignarus, facileque sit, imprudentem artisque insciūm ingeniose fallere. Hæc ego mecum paulo curatius pensans, opera putavi pretium, sequi principia simplicissima, simpliciterque naturalia, &c, se-
posita

CULTUSQUE PURITATE ET DURATIONE.

posita omni auctoritate recepta hypotheseos, ex facultatibus hominis crearem detegere, a creatore ad cultum ei pure & toto tempore, quo quis facultate ipsum colendi gaudet, prastandum, procedere. Si quid utile diguumque lectu meditatus fuero, Creatori meo debeo; si quid erravero, mea infirmitati; veniam morebor tamen, quum in argumeto tam arduo tamque abstruso errare sit facillimum. Gratulabor insuper mihi, si de errore admonitus, saniora edoctus fuero, ut etiam hac in re Creatoris gloriam promotum ire queam, facultates meas qualescunque in meliorem ordinem redigendo: quo quidem studio nihil omnino mortalibus debet antiquius existere. Sed nunc ad rem; quarendus DEus, ut inveniatur.

§. II.

Dum in me ipsum descendeo, varias in me deprehendo perfectiones, qua omnes in facultatibus intelligendi ac volendi confineant. Ista perfectiones omnibus numeris absolute non sunt: Intellectus enim ea non semper gaudet luce, qua opus erat ad rerum cognitionem: nec integrum mihi est, ea semper adipisci, in qua voluntate feror. Ergo carceribus suis inclusa sunt ista perfectiones. Unde autem ista perfectiones imperfectae? Non sane a me ipso: alias enim observata imperfectione illam auferrem, meque perfectiorem reddere studerem. Nam facilius est rem datam augere, quam nondum existentem in se producere. At vero nonne augere possum istas perfectiones? nonne clariorem intellectus lucem in me reperio, quam ante hos decem annos? nonne vehementiori nisu feror in ea, qua sunt bona meaque conservationi perquam convenientia,

A 3

tia, quam olim? Auct^z igitur sunt p^refectiones meæ. Imo vero est hoc aliquid, non tamen omnia. Etenim augmentum illud, quod intelligendi cepit facultas, non venit in comparationem cum defectibus residuis. Quanta enim superest multitudo rerum nondum cognitarum, & adhuc cognoscendarum! Multa hactenus plane ignoro: quia subinde nova invenio, de quibus antea mihi constabat nihil: ex quo coligo, multa restare, & continuo restare posse, quæ cognitu non minus sunt necessaria. Multa cognosco: sed obscure, nec satis distincte: quia subcessu temporis majori evidenter & ordine concinniore te mihi præsentant: ergo dubium est, ut omnium evidenter distinctaque notitiam adipiscar. Scio me ipsum multorum citra voluntatem meam esse oblitum: siquidem eorum cognitio uti quondam mihi fuit certissima, ita etiam labore non exiguo parta. Novi etiam me in multis, quamcumque adhibuerim adtentione, nubem pro Junone, h. e. speciem veri, pro ipsa veritate amplexum esse. Ergo intellectui meo certi prescripti sunt limites, quos ab omni parte removere prohibeo. Par ratio in volendi obtinet facultate. Volo, i. e. feror desiderio & cupiditate in rem extra me positam. Volo multa; consequor tamen pauca. Ergo impeditur. Volo ita; consequor aliter. Est igitur extra me aliud, cuius potentia major est mea. Si consequor omnia, quæ hactenus volui, & eo, quo volui, modo si consequor, nondum tamen expleta est cupiditas: volo nova, & sic porro: semper volendi remanet cupidio. Ergo nec omnia habeo, nec omnia mihi dare valeo, & illud ipsum, quo aliquid appeto, non est a me ipso.

§. III.

Attamen probabile est dari nonnihil, se ipso quod sit contentum, cuius possessione ego quoque contentus esse queam

CULTUSQUE PURITATE ET DURATIONE.

queam, & forte id ipsum volendi facultatem ita mihi construxit, ut nulla in rebus præsentibus inventa quiete, ad ipsum revertar, ibique requiescam? Etenim si velle meum mei eset arbitrii, darem ipsi, quod posset sufficere, & sic continuo desiderio & anxietate me liberarem. Certus itaq' e sum, perfectiones, quas posideo, non mihi, sed alii, quocunque istud sit, deberi. Sed qualenam esse deberet, quod dictas mihi concesserit facultates & perfectiones? non sane me ignobilis: qui enim ab ignobiliore nobilior potuisset produci? Nec mihi par esse potest: alias iisdem laboraret inconmodis, quibus ego laboreo. Ergo me sit nobilior oportet. Quid illud? num *globus terraqueus*? nullo modo. Etenim si posideret similes mecum perfectiones, procul dubio earum notitiam mecum communicaret, quacunque id fiat ratione. Nam uteatur sane intellectu, uteretur voluntate: quia perfectiones posidere, iisque non uti, aut est invidi, aut stulti. Si autem essem a terra, hæc usq' omnino fuisset perfectionibus, nec fuisset invida; quia mihi immerenti subficienter dedisset: nec stulta; quia dedisset sapienter. Sed ego non sum a terra, nec illa mecum similes perfectiones posidet. Imo, inquis, nonne intelligit, quando tam varia florum herbarumque producit genera? nonne vult, quando fructum nunc parcus, nunc abundantius largitur? Respondeo ad posterius: velle hoc non est terra, siquidem ad producendum fruges potest cogi: quod hortorum cultores norunt. Nec ipsa effingit tot genera flororum herbarumque: nam manus artificis ea pro lubitu mutat: nec omnis fert omnia tellus. Quod autem in uno loco poterat, hoc in altero quoque debebat posse: quandoquidem homines ubi vis terrarum iisdem gaudent facultatibus, licet gradibus culturae differant. Deinde etiam tolle solem, tolle plu-

viam, & nihil potest terra. Sed regeris: ex hoc video terram intelligere & velle, dum causas socias ita ordinat, ut non influant, quando hominibus fortassis indignatur. Repono modo adlatam coactionem, qua terra etiam invita vim inferre valemus, cum igne in fornacibus adcenio & conlectis radiis solaribus, tum etiam aquarum temperatarum adfusione. Adcedit tandem, quod nunquam viderim, nondum que audiverim, terram, si habet intellectum, post tot annos intelligentem produxisse substantiam. Dum igitur nullam mearum perfectionum in terra invenio, ipsam easdem habere despero. An forte *sol*, an *luna*, *reliquæ stellæ* mearum perfectionum sunt auctores? Minime. Nam illis nec intellectus, nec voluntas conperit: quia ipsorum operationes necessitatis legibus sunt subjectæ. Sol necessario calefacit, nisi radios ejusdem interposito quodam obstaculo intercipias. Ex quo consicitur, quod eadem mecum libertate non gaudeat, positus que cogi, quod insignis impotentia signum est. Sic etiam reliquæ machinæ, quæ librantur in aere, necessario radios ad hæc inferiora demittunt suos, & vel splendorem de se spargunt, vel etiam obposita nube obscurantur, nec prius se posunt evolvere, quam illa se subduxerit. Item: ordine eodem singulæ sphæræ quotannis volvuntur, idque per tot secula, nec aliorum itare queunt: quod sane non facerent, nec homines de sua potentia aliter faciendi dubitare sinerent, si intelligerent, & nisi aliter facere non possent. Contrariaretur hoc enim bonitati & sapientia. Ego vero possum aliquid facere, idemque possum omittere: possum videre & non videre: possum meditari & non meditari; meum est ambulare velim, an sedere? meum est cantare: meum est etiam legere. Ergo istæ machinæ eas non habent perfectiones, quas ego, &, quod con-

CULTUSQUE PURITATE ET DURATIONE.

19

consequitur, eas mihi nullo pacto dedisce potuerunt. Quid autem si *totius hujus universi beneficio* possiderem id, quod posideo? Neque hoc ita est. Nam ea omnia, quae hactenus novi, suis constant partibus, & sunt composita: & sic totum hoc universum, ex tot naturae diversissimæ rebus constans, vel maxime erit compositum. Quare sine dubio existet componens. Datur in hoc composito universali certus causarum nexus & ordo. Ergo fuit connectens & ordinans. Ille ordo uno eodemque modo continuatur & observatur, quod illi nō runt, quibus volupe est talia scrutari. Quemadmodum igitur horologio non id eo, quod aderat servat horas, intellectum & voluntatem attribuo: ita & in applicatione ad totum hoc universum par obtinet ratio. Adeoque hoc universum alius opus habet intellectu & voluntate, quippe quod neutrum horum habet, sive mearum perfectionum id auctorem agnoscere non possum. Tandem id ipsum, quod in me tantis instrutum est facultatibus, ita est comparatum, ut neque in me ab aliis, neque a me in aliis conspiciqueat. Totum vero hoc universum ejus est conditionis, ut oculis usurpari queat, si quidem in justa distantia ponatur. Quare adhuc aliam in hoc universo substantiam dirigentem querere necessum esset. Nec est, quod a nexus, quem totum universum in se habet, ejus potentiam derives. Datur enim in me quoque nexus: qui tamen, ubi substantia directrix abierit, & corpus exangue jacuerit, nihil valet, quamvis idem adhuc ante cinesactionem maneat membrorum nexus. Quapropter neque nexus ille totius universi, neque totum universum ipsum meus auctor potuit esse: quoniam supra utrumque aliud ens, cui pareat, cogor admittere.

§. IV.

B

Supersit igitur adhuc aliud ens, quod similibus mecum gaudeat perfectionibus, quod meas mihi dederit, siisque limitibus circumcluserit, necessarium est. Quodcumque istud sit, adpellabo *Dei* nomine. Sed quænam ejus natura? De hoc quærendum nunc sollicitius. Primum, quod ei tribuere cogor, est talium facultatum possessio, quas ipsem et posideo: alias non potuisset mihi easdem concedere. Ergo habet Deus intellectum, habet etiam voluntatem. Utraque tamen harum perfectionum meis sit perfectior, certum est: alias mecum in eundem veniret censum. Si mearum facultatum originem ipsi deboeo, debebunt eidem & alii homines suas, quas mecum communes habent: quia mecum ejusdem sunt naturæ, ergo & originis. Ergo Deus tantum intelligit, quantum reliqui homines in universum omnes intelligunt; & tanta erit ejus potentia non tantum volendi, sed & efficiendi, quanta horum omnium simul sumtorum efficit potentia: quicquid enim habent, a Deo sunt consequuti. *In* *mo* *tanta* *erunt* *eius* *perfectiones*, *qua**n**ta* *ad* *eius* *felicitatem* & *tranquillitatem* *re**quiruntur*. Si tam eximiae in Deo sunt facultates, erit *independens*, adeo, ut nulli sit subjectus: alias me quidem esset perfectior, sed non felicior. Independentia hæc tam pertinet ad ejus existentiam, quam ad ejus operationes. Si enim dependenter extisset, limites haberet parimodo, quocego, præscriptos ab illo ente, cui existentiam debet; & hinc operationes etiam essent dependentes, ad numerique prioris entis dirigenda. Sic autem in infinitum procedere cogor, quod tamen enti finito, quale sum ego, contrariatur. Desidero enim scientiam, quæ sine principio certo & primo non datur: Deo autem certius atque prius dari non potest.

Nec

CULTUSQVE PURITATE ET DURATIONE, 11

Nec est, quod aliquis me absurditatis adcuget: siquidem hoc principio scientia omnis, quod in Deo pono, nullum est naturae convenientius. Ergo, ut ad me redeam, *Deus est independentis in existendo, vel est a seipso: independens etiam in operando: quia nemini debet usus suarum perfectionum rationem reddere, quippe quas nemini debet, sed una cum existentia a seipso habet.* Ille Deus, qui a seipso est, potuit etiam reliquis omnibus largiri existentiam, utpote quod priore longe est facilius; quum res productæ omnes producent longe sint inferiores: si enim omnes conjunctis viribus operantur, non tamen efficere possent, ut aliquid a seipso existat. Hinc quoniam nihil est, a quo totum hoc universum, adeoque & ego cum meis facultatibus, & que potuisset produci, concludo *solum Deum rerum omnium esse causam primam, independentem, a seipso existentem, intellectu & voluntate, quinquo cunctis perfectionibus ad sui sufficientiam & felicitatem necessariis instructam.*

§. V.

Dico *solum Deum*: an vero & *unicum Deum* dicendum? quid si plura concurrissent? si plura concurrissent, aut essent Deo superiora, aut inferiora, aut paria. Non poterant esse superiora: nam ea excludit Numinis independentia. Non inferiora: quia sic ipsamet essent a Deo, & hactenus a me non diversa. Neque tandem paria: sic enim dubius essem, a quo sim, & cui pro origine cultum debeam. Deum autem voluisse me dubium semper habere, nullo modo cum ejus convenit sapientia & amore: de quibus deinceps agemus. Ponam vero plures dari Deos: illi aut eamdem, aut diversam habent essentiam. Si habent diversam, unus altero est aut inferior, aut superior: & sic prius redit. Si habent eamdem: unus non plus potest altero. Si autem omnibus eadem est potestas, adeo,

ut, quod unus potest, alter etiam poscit, ad quid opus est pluri-
bus? *Unum* itaque saltem in hoc universo, quod nos novi-
mus, esse *Deum* natura est convenientissimum veroque simili-
limum. Evidem eadem, quoad prima principia, omnibus
est materia: eodem omnia conligata vinculo: idem omnia sus-
tentat aer: idem omnibus semper manet ordo: quod sane *unum*
erundemque & uictorem & rectorem haud obscure indicat. An
vero possibile sit, extra hanc mundi machinam aliam existere, e-
amque ab alio productam esse Deo, nobis non liquet. De ignotis
autem non disputat sapiens. Et quid inde lucrarer, si plures ex-
isterent Dii? ego sane unico subesse, quin nenter pateretur,
ut alter alterius involaret territorio. Hinc alij omnes, quoniam
extra me, nihil ad me. (*)

§. VI.

Sed unde scio hunc Deum, cuius me opus esse hacte-
nus cognovi, a me velle coli? (hoc enim alterum est medita-
tionis nostra membrum) quid si vellet a me profanari? ab-
sit! Cognosco enim meam me *Deo* debere originem, tanquam
dispositio, vel ex sola mei ipsius formatione pervidenda. Sum
enim ex variis membris coagmentata compagēs, ex qua con-
cinnus undique resultat ordo: ex quo colligo, structorem o-
mnino fuisse sapientem. Sapiens autem nullus facit aliquid
in

(*) Ex his sequuntur nolamēs tanta ex principiis mere naturalibus de-
monstrative destrui non posse, quamvis ad summum probabiliteris
gradum redirent queat. Inde tamen nihil nisi intendendum:
provis a me tantum est. Unitatem Dei demonstrare, solus scrip-
ture negotium est: quod circa omne dubium a sapientissimo
Deo ita sapienter dispositum, ut eo major scriptura exinde surgat
anterioris. Postquam natura vel ratio me docuit esse Deum,
scriptura dicit eundem esse unicum.

CULTUSQUE PURITATE ET DURATIONE, 13

in sui obprobrium. Ergo Deus non vult, ut sibi sim dodecori. Nec etiam *sapientis est, agere sine praefixo scopo*: si autem nollet a me honorari, creasset me sine fine, tam a parte mei; quia dedisset facultates, quibus ipsum honorare queam, frustraneas: quam a parte sui; quia solus ille finis, quo reverentiam & honorem a me requirat, Deo, tanquam enti sibi sufficientissimo & nullius rei indigo, aptissimus. Deinde *creavit me ens mei amantissimum*: alias enim me tantis perfectionibus præditum non produxisset: siquidem penes ipsum stabat, vellet me producere, nec ne? Quum tamen hoc fecerit, tantisque simul perfectionibus me beaverit, procul dubio me amat. Si me amat, vult etiam a me amari: quia stultum esset, amare aliquem, & ab ipso a morem reciprocum non exigere: esset enim & hic amor sine fine, qualis in sapientem non cadit. Ergo teneor Deum colere, & quidem dilectione reciproca. At qualisnam ulterius debet esse ille amor? Haud dubie talis, qui amori divino respondeat. Sed qualis est amor Dei? talis, qui tum in seipso, tum in rebus a se productis terminetur. Quapropter amandus est Deus, amanda sunt creaturæ: amore tamen, prout objectum diversitate perfectionum a Deo cuilibet concessarum est diversum. Deus igitur amandus amore intensissimo; quoniam est ens omnibus perfectionibus absolutum, cui res inter creatas nec datur simile, nec absolutius. Remissius amanda sunt reliqua, prout gradus perfectionum a Deo ipsis communicatarum requirunt, & nullo respectu alio sunt amanda, quam quatenus eudem ortum habere deprehenduntur. Deus me diligit; quia sum ejus opus: hinc eum amem oportet, quia meus est auctor. Deus me amat; non ut inde reddatur felicior: est enim felicissimus: ergo amandus, etiamsi per eum non possem reddi felicior: quia felicitas, quam mihi gratis impertivit, possem contentus degere.

B 3

Sed

Sed me feliciorem potest efficere ; quia felicitas omnis ab ipso est, adeoque ab ipso & augeri potest, & minui : ergo multo ardentius amandus. Quin etiam simendus est, hoc est, contra ejus voluntatem nihil committendum , quo obsendi querat ; ne repeat a me , quod dedit : ne in miseria me relinquat : ne ingratus inveniar : ne graviorem infligat poenam. Sed unde scire possum , quid velit , aut quid nolit ? Id vero hactenus didici : vult enim a me voli , seu , quod idem est amari. Possum ne ego ipsius voluntati contraria facere ? imo vero possum. Unde hoc novi ? inde : possum intelligendi facultatem excolare , possum id etiam omittere. Illud , non sane hoc , vult Deus ; alias non dedisit potentiam augendi , quam nemo sapiens dat frustra. Possum rebus alienis violentas manus injicere , & ad me easdem rapere : hoc etiam ad divinam non quadrat voluntatem. Si enim voluiset , ut illud haberem , dedisit : quoniam eadem facilitate , qua dedit alii , & mihi dare potuisse. Sed tamen aliis facultatum suarum præstantiam invideo , & si per me staret , eriperem , idque ideo , ut meas præstantiores reddam. Imo & hac ratione aliena desidero , ut ea cum mei destructione consequi tantum non semper ad laborem. Verum hoc forte ex malo habeo : mihi ipse hanc labem contraxi : qua tamen ratione , ignoro . (*) Hoc ego solum novi , a Deo , tanquam ente sapientissimo meique amantissimo , nihil potuisse profici , quod ejus sapientia & amore indignum esset. Jam istic hoc solum est dignum , quod ad meam tranquillitatem potest subficere. Quamdiu eam tranquillitatem mihi turbo , querendo felicitatem meam extra felicitatis fontem , præter id , quod Deus mihi concescit ; aut in rebus mihi paribus ; aut me inferiori-

(*) Hoc ratione quodammodo patet. Lepidus ex principiis rationis posse deducit.

CULTUSQVE PURITATE ET DURATIONE,

15

serioribus; perdidisse me non parum a primæva intellectus facultate, voluntatisque puritate, convincor. Cujus restitutio soli Creatori commendanda. Sed his jam non immorabor, ad alia tendo.

S. VII.

Hactenus cognovi solum Deum esse colendum, & quidem amore intensissimo, eumdemque resormidandum. Ex his porro delineanda est *Puritas*, qua iste amor debet esse conspicuus. Quanam in re consistet illa puritas? Uno verbo: *quantum ad me*, consistit in debita facultatum mihi concessarum adlicatione, quæ scopus Creatoris sapientissimi pariterque me maxime amantis obtineatur, qui est mea felicitas: *quantum ad Deum*, consistit in agnitione perfectionum summi entis, earumque admiratione devota, qua gloria Creatoris amplificetur. Hæc tandem consequetur natus ad unionem cum ente hactenus descripto, mihi cognito quo ad perfectiones suas mecum communicatas, una cum amore in me summo. His, inquam, absolvitur amoris, qui Deo placeat, puritas. Ab intellectu proinde requiritur, ut vim intelligendi a rebus, quas circa se videt culturæ suæ obstare, declinet, & istam in solius Dei sapientia cognoscenda defigat; eam admiretur, & ex ea subinde proficere anhelet. Ex parte voluntatis exigitur, ut Deum, tanquam objectum intensissimo amore vel maxime dignum, summo desiderio profequatur, nec suos motus sequendo evidenti intellectus præsentationi repugnet; sed potius, quantum in se est, in ejus coniunctiōnem tendat, ejusque honorem, quacunque liceat occasione, promovere studeat.

S. VIII.

Verum hæc omnia quanam ratione peragenda? Equidem interioribus mentis facultatibus factum si fuerit, optimum

mum : quod si tamen externis gestibus internam velis demon-
strare adtentio[n]em & reverentiam , quod Deo displiceat , haud
sane commiseris . Nam & instrumentum animi , quod est cor-
pus , Deo debeo . Ergo non errabo , si ad ejus honorem i-
dem adhibuero . Quid ? quod & arctissima , quæ animum in-
ter & corpus intercedit , connexio , vix aliter permittat ? Hæc
omnia rite si observavero , ex lege gratitudinis , sine omni
coactione , sum omissurus , quicquid Deo displacebit . Dis-
plicet autem Deo neglectio facultatum ab ipso mihi in sui cul-
tum concessarum . Namque si negligas intellectum , eius ob-
scurationem , officiorum , ignorantia sequetur . Hæc existen-
te , non potest non voluntatis induci depravatio , quippe quæ
in illuminato rectore destituta , ruit , quo cunque placuerit , &
seipsum reddit miserrimam . Hinc amor non amplius in cre-
atore , sed in creaturas solum tendit : his adcep[t]um refer-
tur , quod illi debetur : hæc felicitatis & tranquillitatis ponun-
tur seopus , quum tamen solum Deum cognoverim , tanquam
summum bonum , a quo , ex prima veluti scaturigine , singu-
la bonorum genera ortu[m] deducere adfirmandum . Rebus
verbo : omnis omnino finis a Deo per mei productionem in-
tentus , non potest non exulare . (*)

§. IX.

Huc usque adpareat Deum omnino existere , cumque
colendum , & quidem tali cultu , qui sit purissimus , colen-
dum esse . Quum tamen varia sint , quibus ego per neces-
itatem subjectus a cultura facultatum coerco , & sic a cultu
ipsi tribuendo retineor , nunc tandem Tempus novisfe per-
velim ,

(*) Argue hoc sum fundamenta , quibus nascitur gentilium idolatri-
æ superlotionis , quippe quæ ex tali facultasum neglectu exsurgit .

velim sacris exercitiis inpendendum , & quādiū cultus iste durare dabeat ? Num hora per diem ? num dies per hebdomadā ? num hebdomas per annum ? num annus per omnem vitam subficit ? Num a prima juventute auspicandum ? num virilis solum ætas inpendenda ? an vero satis est ad annosam usque senectutem hæc differre ? Evidēm , quod ad prius adtinet , opus sane , quod mihi incumbit , adeo est arduum , ut uno anno , nedum breviori temporis spatio , parum profectum sperari queat . Ergo plus utique temporis necessarium . Quantum ad alterum , majorem quoque res exigit adtentionem , quam ut ipsi levitas juventutis par sit : Senectus autem , quæ variis morbis stipatam secum trahit inbecillitatem , emendationi facultatum remoram non exiguum ponere videtur . Quid ? quod difficile , ne dicam impossibile , sit , mentem aliis omnibus per totius vitæ cursum adfvetam cum demum eo adfvesfacere , ut sensibus externis ejuratis , sola secum habitet , & meditationibus ejusmodi subtilioribus , quas spirituales nominare liceat , obcupetur . Quare media , quæ virilis est , huic negotio vel maxime fuerit idonea . Hæc enim inter in consideratam teneroris ætatis levitatem , & receptæ sententiaz morosam tenacitatem atq; tarditatem senectatis , ita incedit media , ut neque flammam ante ignem concipiatur , neq; flamnam semel conceptam ultra , quam oleum subfecerit , a lendam querat . Hoc volo : ætas media , quam virilem dicimus , æquius rerum ponere pretium novit ; indeque nec ante tempus judicium adcelerat , nec quando opus est , idem ultra tempus suspendit , nec rem prolixius , quam decet , extendit . Sensibus facilius renuntiat , nec gravatur , siunicis animi vacandum actionibus . Sunt evidēm hæc veritati quodammodo consentanea , suas tamen patiuntur limitat iones . Illa , quæ juvenili competit ætati inadvertentia , nec omnem ipsi capacitatem

citatem denegat, nec tarditas senectutem ad omnem meditationem instituendam ineptam reddit. Quid? quod cuivis aetati non ea omnia, quae objiciuntur, ita sint propria, ut a juventute omnis adtentio, & a senectute omnis vigor exulet, totiusque prudentia summa in virili aetate, tanquam in communi centro concurrat. Contrarium enim ejus rei deprehenditur sapientissime. Ergo unaquaque vita humanae periodus sua gaudet virtute, si modo ferius adcesserit natus efficiendi, quod debet. Id quod clarius enucleandum.

§. X.

Ex eo tempore, quo memini me cogitasse, simul scio, quod animum ita continere potuerim, ut sepositis sensibus externis sola mente rem agere, & adhibita diligentia meditatione id adsequi valuerim, in quod mea sciendi me trahebat cupiditas. Imo de hoc quoque sum certus, me facultatem, qua intelligo subcessu temporis ita eruderasse, ut etiam non sint amplius obscura, quae tamen ab initio erant talia. Ex quo patet, quod tenera quoque aetate idoneus fuerim ad meditationes de DEO rebusque divinis instituendas. Deprehendi quidem in voluntate supinam quasi negligentiam & a multis aversionem: potuit tamen & haec expugnari. Cur igitur cultus DEO praestandi non fuisset capax? Ille enim duabus ipsis actionibus, quibus ego par eram, absolvitur. Et num, quas, Creator tam praestantes mihi largiens facultates, ut etiam insens easdem possiderem, (saltem quoad alium primum, ad exercitium tamen tendentem) potuit eas sine fine mihi dedit, ut sepultos haberem, suoque tempore excitarem? Hoc sane enti tam sapienti non tribuerem. Si enim hoc voluisset, potuisset me ita construere, & procul dubio

dubio ita construxisset, ut non, nisi post tot vel tot annorum spatium, rationem adhibere inciperem. Incepit autem eau-
ti a prima juventute. Quare vel maxime usus ejusdem in
eo, quod gloriam sui auctoris promotam optaret, demon-
strandus erat. Nihil jam de jucunditate, quam talismodi pa-
riunt meditationes, dicam. Nec etiam id prolixius urgebo,
quod hæc sola sit via, qua licet ad unionem cum summo en-
te adspirare. Hæc autem unio nonne omnem in nobis pro-
ducit tranquillitatem? nonne sola nostram felicitatem con-
stituit? nonne istud ipsum, quod tantopere desideramus,
summum bonum absolvit. Rebus sicstantibus, stultus sit,
qui hæc officia in seram usque senectutem, cuius adtingen-
da nemo se tibi vadet praestiterit, differre voluerit. Atque
ex dictis nunc patet nullam esse atatem, quamlibet illa sit re-
nara, quæ a cultu creatoris sit exempta, modo usus rationis
in eam cadat.

§. XI.

Videndum nunc etiam de *Tempore* cultui inpenden-
do. Arduum est negotium, multumque refert, qua solidi-
tate hoc ipsum peragatur. Breve admodum viræ nostra cur-
riculum, stadium saepe absolvimus vix egressi carceribus.
Pender ab ipsis meditationibus summa æternumque duratu-
ræ felicitatis possessio & jactura. Jucundum & salutare cum
Dœ in terris versari, ne ab unione cum eo æternum exclu-
daris. Quo citius scopus adtingitur, eo diutior possessio-
nis oblectatio. Negligens procrastandi libido, jacturam saepe
rerum præstantissimarum habet comitem. Jactura semel
facta, nulla salutis recuperatio. Possessio facultatum nullo
cessat tempore; quare usus earumdem ne cesseret, requiritur.

C 2

Toto

Toto die incumbit officium; ergo nec horam nominaveris, quæ ab ejus exequitione dispenset. Imperat dominus; pareat servus. Jubet pater; morem gerat filius. Urget fortè cum usura creditor; diem cessare periculosum debitori. Vult creator, finis ut adtingatur; dependentis est ejus consequationem non retardare. Verbo: nulla nullo tempore datur dispensatio. Sed multa mihi peragenda, quæ me retrahunt, quo minus toto die in facultatum mearum emendatione, sicque in cultu entis supremi persistam. Corpus eurandum, ne conlabescat: corpus vestiendum, ne prematetur aëris injuria. Cibus parandus, isque capiendus, ne famem peream. Amicis vacandum, ut habeam, qui mihi, quando est opus, socias adferant manus. Reipublicæ danda est opera, ut securus sim ab aliorum insultationibus. Sed bene habet. Hæc omnia tantum abest, ut emendationi facultatum cultuique divino obstent, ut potius utrumque insigniter promoveant. Evidem ex summa istarum rerum necessitate, convincor velle DEum, ut talibus etiam vacem negotiis, certusque reddor, ad cultum divinum non semper requiri, ut ipse DEus ejusdem proximum & immediatum solumque sit objectum. Sequor ergo DEum, ejusque voluntati satisfacio, quantum in me: & hoc ipso DEum colo. Corpus confervo, ut liceat animo in terris versanti, modo visibili gloriam auctoris non visibilis amplificare. Societatem colo, ut ex aliorum prudentia sapiam, & alios mea sapientia prudentiores efficiam. Non mihi soli, sed post DEum & mihi & aliis vivo. Cernens tamen conversationem cum aliis, caramque rerum sub sensu exteros cadentium, nimium quantum distractare animum, & ad conjunctionem cum summo ente redere

dere ineptiorem, sepono nonnihil priora, & certo tempore
soli Creatori sum domi; cuius exercitii mensura solus men-
tis meæ status existit.

§. XII.

Vellem tamen doceri, num poenam mereatur, qui ob-
ficii neglectu Creatoris male respondet intentioni? At vero
mihi ipsi sententiam dixi, dum *obficium* negligi adseveravi.
Nam obficium nascitur ex obligatione, obligatio ex pacto vel
etiam ex lege, lex est a voluntate superioris, quæ vim suam
amitteret, nisi legislator in transgressores velit animadverte-
re. Ergo punietur sane, qui cultum Creatoris neglexerit,
Quonam vero poenarum genere, latet. Nec refert aliquid,
poenæ genus ignorare, dummodo ejusdem inmisio sit indu-
bitata. Eam vero talem esse, ex eo ulterius sum certus, quod
a sapiente habeam, quicquid sum consequutus; quodque fa-
piens ille certo fine dederit; qui finis non est frustandus,
multo minus contraria committenda, sed exequendus, quum
alias effet nullus. Quare etiam ejus omissionem poena sequar-
tur oportet, ne frustra sit voluntate sua Creator. Menini
vero me finem istum sàpenumero insuper habuisse, & loco
ejus, ut intentioni divinæ responderem, contraria peregisse.
Ergo *laſum ius restituendum*, aut poena certissima expe-
ctanda. Sed quomodo *reſtitutio facienda?* *nolleſ faſtum & ſerio*
nolleſ. Atvero hoc *nolleſ faſtum* quamvis *ſerium*, num re-
vocat momentum ejus temporis, quod male perdi, ut me-
lius Conlocem. Quod semel præteriit, in aternum non potest
revocari. Ergo de restitutione despero. Forte DEus non ad-

eo

c 3

eo rigorose mecum ager? Sed forte, imo certissime rigore mecum actarus est. Nam finis, propter quem dedit, nunquam cessat; ergo & nunquam non est observandus. Pотui, debui; oportuit igitur. Quapropter aliis sit, qui satisfaciat, erroresque debeat spero. Verum de his videbit Theologus ex revelatione; si let ratio; quamobrem & hic meditationis Philosophica sit

FINIS.



ULB Halle
003 620 00X

3



5b,

VII

17





17

MEDITATIO PHILOSOPHICA
DE
EXISTENTIA DEI,
E JUS CULTU, CULTUSQVE
PURITATE ET DURATIONE,
EX MERIS PRINCIPIIS SANÆ RATIONIS
CIRCULO CONCLVIS DEDVCTA,

Quam
Indultu incluti Philosophorum Ordinis

ad d. XVI. Junii MDCCXIV.

PLACIDO PHILOSPHANTIUM EXAMINI

H. L. Q. C.

S U B M I T T E T

M. JOHANNES DANIEL SCHADÆUS,

Auerst. Thur.

RESPONDENS

DANIEL GOTTLÖB Müller/

Flöha Misnic.

LIPSIAE,
LITTERIS ANDREÆ MARTINY SCHEDII.